

h. 113713.

YC
1947

Q. B. F. E. F. E. I. D.

PROGRAMMA

de

Rebus quibusdam ad historiam Coburgensem pertinentibus,

PER OCCASIONEM ORATIONIS GERMANICAE

de

IMITATIONE CHRISTI

a

IO. GEORGIO KREVCHAVFIO

Eisfeldense Franco

IVVENE GRATIAE MODESTORVM ET OFFICIOSORVM APPETENTE, HISTORIAE SIVDIOSO, ORATIONIBVS SACRIS DEDITO, MVSICES IVSTO EXISTIMATORE, ET QVAE APVD MAIORES NOSTROS AMPLISSIMA LAVS FVIT, ALVMNO CASIMIRIANO

HABENDAE, ET VLTIMO VALE CONCLVDENDAE.

CASIMIRIANI ERGO OFFICIOSO COMMILITONI HODIE HORA II POMERIDIANA OFFICIUM FREQUENTES ET EX AMICITIAE LEGE TESTABVNTVR.

P. P. e Tabul. Caf. postridie Dominic. Quasimodogen.
Anno MDCCXLV.

COBURGI,

Typis GEORGII OTTONIS, Typogr. Ducal.



DIRECTOR,
ADIVNCTVS & PROFESSORES RELIQVI
CASIMIRIANIS SVIS

S. P.

I.

Superioribus annis * Casimiriani nostri historiam illustrare coepimus, ne mutila esset diutius & imperfecta. Persequemur iam opus Civibus Coburgensibus tam necessarium, Professoribus tam honestum & Casimiriano tam honorificum. B. igitur Io. Gerhardo, Superintendenti Heltburgensi, ius fasque est, ut vindicemus Disputationem, *an Scriptura S. sit norma & iudex controversiarum fidei, an vero ecclesia sit illa norma & iudex?* anno 1612 d. XIII Augusti horis pro *& pomeridianis* habitam, respondente M. Ioanne Fabro, ecclesiae Lindenaviensis Pastore. Nec patiemur diutius latere istam Libavii Disputationem, cui nomen est: „Exercitatio Gymnastica de filiis Dei, & principaliter de quaestione, sitne Christus, qua homo, filius Dei adoptivus, ut haeresis Feliciana olim voluit, regente Andr. Libavio, M. D. „Gymnasii Directore & Professore, respondente Gabriele Weidnero, „Scalcoviano, M. Gabrielis, Pastoris olim ejus loci filio; in auditorio „Ernestiano d. 28 Iulii horis consuetis MDCX. „ Adhuc, quod nos sciamus, XIV modo Disputationes Hubmezerianae repetitionis Ethicorum Nicomachiorum memoratae sunt ab iis, qui res nostras ab oblivione vindicare sunt conati. Sed vide, quaeso, decimae septimae titulum: „Disputatio XVII repetitionis Ethicorum Nicomachiorum Aristotelis „de virtute heroica, continentia, tolerantia, & oppositis, feritate, incontinentia, mollicie; ex cap. 1. 2. 3. lib. 7. Ethicorum. Ad quam Praefide „M. Hippolyto Hubmejero, Directore & Professore P. publice respondet Wolfgangus Letz, Coburgensis. Ad diem 16. Nov. 1622. Etiam Frommanni Disputatio hic locum invenit, quae anno 1619, aut, ut meum exemplar calamo correctum est, 1620 die 16 Ianuar. proposita fuit. Ecce illius nomen: „Disputatio Logica de differentia, quam Praefide „M. Andrea Frommanno, defendere conabitur Ioannes Georgius Selt, Eislefeld. Francus. „ De b. Seldii Disputationibus omissa est adhuc illa, cujus totum titulum apposuisse, nos non poenitebit. „Photinianismus

„ener-

* an. MDCCXLIII exam. autum. & an. MDCCXLIV exam. vern. & autumn.



„nervatus, & Iudaismus debellatus, sive Disputatio Theologica, genui-
 „num, fidei controversias, quae Orthodoxis cum Photinianis & Iudaeis
 „itemque Iudaizantibus haecenus intercesserunt, componendi, eadem-
 „que convincendi medium ac modum designans, Praefide Ioanne Chri-
 „stophoro Seldio, S. Theol. D. Superint. Gener. Saxo-Coburgico, cet.
 „Respondente Wolfgango Krug, Coburgensi Franco cet. „ Huic
 „comitem nunc addimus alteram isto insignitam nomine: „ Disputatio
 „Theologica de Praedestinatione, Praefide Ioanne Christophoro Seldio,
 „SS. Theol. Doctore, cet. publicae disquisitioni submitter Fridericus Gre-
 „gorius Spindlerus, Ecclesiae, quae Christo in Gleich an der Wiesen
 „colligitur, Pastor. „ Qui vir fuerit Ioannes Geilfusius antequam Co-
 „burgum ad docendum evocaretur, intelligere etiam ex ejus industria li-
 „cet, cujus adhuc extant documenta. Producemus hic unum, cujus iste
 „est titulus: „ Disputatio Ethica octava, de amicitia, Praefide M. Ioanne
 „Geilfusio, Witzenhufano Hass. S. Th. Studiofo, καὶ δόξαν defendere
 „conabitur Ioannes Roth, Neunburgensis ad Gabretam Palatinus, ad
 „diem 18 Iunii, hor. & loc. consuet. Ienae anno MDCXIV. „ E Cobur-
 „gensibus Geilfusii Dissertationibus non amplius oblivione putamus obli-
 „terandam, quae in manus nostras ideo fortasse incidit, ne a nostris homi-
 „nibus ignoraretur: „ Disputatio Metaphysica DE RELATIS, ex Lib. 5.
 „Met. cap. 15. Opposita Photinianis, divinitatis Christi & Spiritus sancti
 „hostibus atrocissimis; Sub praesidio M. Ioannis Geilfusii, publice susci-
 „pit Christophorus Mulnerus, Coburgensis Francus. Ad diem 18 Maji in
 „Auditorio majori, Coburgi MDCXVI.

II. Veniemus ad res Coburgensium, qui Professores non fuerunt.
 Eisenwinnerum foris etiam crebro disputasse, scriptores jam ejus vitae
 memorarunt. Sed qua de re disputarit, annotare sunt obliti. Dignum
 Viri ingenium est & industria, ne conatus ejus in oblivionem veniant.
 In promptu nobis est Disputatio Logica DE ELENCHIS SOPHISTICIS
 „publice proponit M. Georgius Fabricius, Norimberg. Respondente
 „Georgio Eisenbinner, Coburg. Fr. Ienae 1619. Scripturam qua ipse
 „hic usus est, religiose nos retinimus.

III. Ab iis, qui Coburgensium Professorum Disputationes colligere ac palam proponere nostris studuerunt, respondentium nomina saepe silentio sunt praetermissa. Id quod historiae Casimiriani nostri non parum officit, & rem literariam ipsam saepe obscuravit. Primum enim disputationes certissimum praebent testimonium, ubi quisque literarum

rarum causa versatus sit & versari honestum sibi duxerit ac conducibile. Deinde certum est, multa ingenia ad tantam doctrinae ac virtutis laudem pervenire non potuisse, nisi in ea venissent loca, unde apparatus & subsidia laudum collegerunt. Nam & condiscipulorum aemulatio, & doctrinarum dignitas, & Professorum solertia etiam hic multum valet. Tum tirones multi in ipso aetatis flore & magna aequalium spe subito moriuntur. Quos si hisce inclarescendi primordiis orbes & tanquam defraudes: iniquitatis cujusdam & malignitatis crimen effugere non possis. Humanitatis certe laude privari non potest Goettingensis Academia, quae praeclarissimorum adolescentis Münchshausenii conatum interceptam spem honestissime deploravit. Neque tale fatum adolescentium morte occupatorum temere deplorari, exemplum Happachii mox declarabit, cui, quum Ephorus quidam prudentissimus ingeniorum aestimator Doctoris honores ominatus esset, repentina mors omen intervertit. Quaerimus etiam saepe, aetate longius progressa, vel ipsi, vel propinqui ac familiares nostri, vel denique alii, quoto anno vel nos vel alii doctrinae specimina edere coeperimus. Ipsa enim specimina vel familiarium precibus, vel furum astutia, vel aliis casibus ita nobis detrahuntur, ut quae ceteri omnes a nobis requirant, ea ipsi maxime omnium desideremus. Hic igitur ad Historicos decurrendum est, qui, si etiam ipsi taceant, vulnera magis refricant ac distendunt, quam leniunt & sanant. Primitiae per se cuique suavissimae sunt, & aequalium spem atque imitationem inflamment, seniorum desideria & operationes alunt & implent, posterorum curiositati satisfaciunt. Eas igitur quisquis negligit ac contemnit historicus, nae is officio suo parum consulit. Ingratum certe curiosis lectoribus est desiderata quaesivisse, multas paginas convertisse ac perlustrasse, & tamen ad extremum spem omnem delusam videre. Sunt aliae item causae, quae respondentium memoriam conservari jubeant. Neque enim sumtus iccirco faciunt, ut Professorum probetur ac celebretur industria, sed ut ipsorum quoque honesta fiat mentio, & mature constet, communi se ignavorum, tardorum & hebetum numero exemtos esse & ad majus quoddam fastigium aspirare. Et quoniam saepe ac multis in locis respondentium specimina grati animi testimonium ac vicem explent: apparet profecto, historicos Gymnasiorum, si respondentium nomina suppresserint vel saltem neglexerint, iis grati animi laudem, in qua tamen tantum cuique positum est, detrachere atque intervertere videri. Quocirca ratio jam nobis constare videbitur, si respondentium quorundam

dam nomina ab oblivione hic vindicemus, ubi lacunas ac defectus historiae Casimirianae explere allaboramus. Disputatio igitur Meyfarti de *Scriptura sacra* respondentem habuit Benedictum Schrickel, Hilperhusanum, qui filius fuit Ioannis Schrickelii, Senatoris Hilperhusani, cuius oratio funebris extat a M. Augustino Bachmanno edita. Ejusdem Meyfarti Dissertationem priorem de *Iustificazione hominis peccatoris coram Deo* defendit Michael Herdwigius, Weberstad. Thuring. posteriorem Jacobus Brunius, Megapolitanus, mense Majo 1618. Ejusdem Dissertatione Respondentem habuit Io. Wolfgangum Kühnium, Ienensem Thuringum, a. d. XXVI. Iunii 1617. Ejusdem Dissertatione Respondentem nacta erat Christophorum Mullnerum, Coburg. Franc. A. Frommanni Disputatio de *Ecclesia ejusque antiquitate* defensa est a Io. Casimiro Happachio, Coburg. Franc. item ut ejusdem Disputatio prior de *communione sub utraque & una specie*, opposita Heinricho Marcellio, Soc. Iesu, a Casparo Wernero, Waltburgensi Misnico, d. VI Aug. MDCXLVII.

IV. Aggrediemur nunc ad memorabilia quaedam vitae & ingenii Io. Iacobi Draconis, quae nondum formis literarum aeneis expressa & divulgata esse putamus. Carmen, quod ipse libro praeposuit colligendis amicorum nominibus dicato, eximium ingenii acumen declarat.

Ad Lectorem.

Forte times, isto te consignare libello,
 Quod malus ad timen codicis hospes eat,
 Insuper ignivomi vix nomen mite Dracones,
 Aut faciles animos significare queant:
 Ne timeas: nec enim distat feritate Leoni,
 Itala quem Papam nuncupat aula Pium.
 Quod vocor aligeri metuendo nomine monstri,
 Quodque trucem clypeum lar atavitus habet:
 Absit, ut ad nostros ea quædrent omina mores,
 Omina successum non habitura suum.
 Haud truculenti homines truculenti nomine, qui re.
 Sunt truculenti homines, sunt truculenti homines.

Ioannes Iacobus Draco, Loranus Francus.

Non meminimus in vita ejus aut commorationem ejus Tubingensem, aut iter Argentoratense memorari. Vtrumque tamen ex libro quem diximus manifestum est. Nam Argentorati libro isti haec inscripta sunt:

„VII“

„*Virtutem necessario gloria sequitur.*

„Praestantissimo ac Literatissimo Dno. Io. Iacobo Draconi, I. V. C.
„memoriae ergo reliquit Argentinae die 1 Febr. A. 1621 Theodoricus
„a Polenz, Eq. Boruff.

Paulo inferius verba occurrant illa:

„Gregor. Simulata aequitas duplex est iniquitas, qui facit ma-
„lum & abutitur bono.

„Clarissimo & Consultissimo Dn. Ioanni Iacobo Draconi, I. V. D.
„dignissimo, amico, fratri et fautori suo colendo l. m. q. apposuit die
„30 Martii Tubingae Ao. 1621 Io. Christianus Scherer, I. V. Lic.

„*Constanter & sincere.*

„Clarissimo & Consultissimo Dn. Ioanni Iacobo Draconi, I. V. D.
„eximio illustris Gymnasii Coburg. Professore designato, amico, fratri &
„fautori suo pl. amando & colendo, haec amicae & fraternae recordatio-
„nis ergo l. m. q. apposuit Tubingae die 30 Mart. Ao. 1621 Ioannes Ge-
„orgius Scherer, I. V. Lic.

Draconi quoque in Academia Altorfina licentiam docendi datam
fuisse, documento sunt aliqua inscribentium testimonia, quae aliter nec
intelligere nec interpretari possis. Pertinent huc verba quorundam fi-
deliter a me descripta. „Cic. I. off. Temere in acie versari & manu
„cum hoste configere immane quiddam & belluarum simile est. Sed
„cum tempus necessitasque postulat decertandum manu est, & mors ier-
„vituti turpitudini que anteponenda.

„Clarissimo & Eruditissimo Viro Dno. Io. Iacobo Draconi, Profes-
„sori Coburgensi dignissimo, Praeceptoris suo & Collegae desideratissimo
„scripsit in inclita Noricorum Academia, quae est Altorfi 17 Novembr.
„Anno 1620 Ioann. Prots.

„Tacit. lib. I. Histor. Secundae res acrioribus stimulis animum
„explorant: quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur.

„Viro Clarissimo & Doctissimo Dn. Io. Iacobo Draconi, V. I. C.
„Illustris Gymnasii Coburgensis Iuris Prof. P. Dn. Praeceptoris & Colle-
„gae suo observando haec paucula amicae recordationis ergo scribere
„debit Wenceslaus Meixner, mens. Novembr. Anno 1620. Altorfi
„Noricorum.

Ab his tamen testificationibus sejungendas esse arbitramur, quae
alibi eodem in libro inveniuntur, quia pristinum tempus indicare viden-
tur. Proferemus hic duas:

„*Post*

„ *Post nubila Phœbus.*

„ Clarissimo atque Praefantissimo Viro Dn. Ioanni Iacobo Draconi,
„ I. V. C. in Illustr. Casimiriano Coburgensi Gymnasio P. P. Informatori
„ & Praeceptorum quondam colendo, Amico & Sympatriotae Pyladejo vin-
„ culo conjuncto perpetuae recordationis ergo apposuit Altorfi A. 1620
„ 30 Novembr. Hieron. Höfflichius, Kitzing. Franc. LL. Stud.

„ Non sanguinis nequitudo, sed virtutis cognatio proximos (& Ami-
„ cos) facit. Ambros. lib. 2. de off.

„ Clarissimo ac Praecellentissimo Viro Dn. Ioanni Iacobo Draconi,
„ Professi. Casimiriano dignissimo, Praeceptorum ac Collegae quondam suo
„ exoptatissimo hanc amicitiae tesseram reliquit Io. Heringius, Oldenb.
„ 18 Novembr. Anno 1620. Altorfi.

HISTORIA RERVM QVAE POST EDITAM
G. LVDOVICI HISTORIAM AD CASIMIRIANI EMO-
LVMENTVM ET COMMENDATIONEM COGITA-
TAE ET PARTIM CONFECTAE
SVNT.

I. Exigua quaedam & pusilla memorabuntur vobis, Casimiriani,
ut initia omnia fere tenuia sunt & exilia, sed quæ tamen, Deo prospere-
rante, alicuius momenti sensim erunt.

II. Primum enim circumspici cœpta sunt ea rerum artificialium
genera, quæ & antiquitatem monstrant & tempora proxima atque nostra
si non utilia, at saltem innoxia discipulis efficiunt. Ad hanc classem
referimus numos antiquos ac recentiores. Illi enim multum condu-
cunt historiæ temporum vetustiorum, quæ obscurissima sæpe forent &
longe alia viderentur, ac revera fuerunt. Sed in demonstranda rei nu-
mariæ utilitate ac præstantia quum diligentissime versatus sit Ez. Span-
hemius & alii, nobis hic eo labore supersedere licet. Ac si maxime, vt
videtur, tanto scriptori & aestimatoribus ejus aliqua possint addi commo-
da, ad illa tamen ab hoc loco & instituto sunt aliena. De antiquis
numis, nullum nationis genus est, cujus pecuniæ a nostro colligendi stu-
dio excludantur. Adhuc tamen Romanos solum numos a Gymnasilii
fautoribus accepimus, quibus Græci & Hebræi aliique addentur, si qui
in manus nostras venerint. Paucos illos, qui in armariis nostris reper-
untur, fideliter hic annotabimus. Sunt ergo *Divus Augustus pater*, med.
moduli cupr. *Caesar Germanicus Caesaris Augusti Divi filius*, med. mod.
cupr.

x 366 1141

2/c

1947

OK

VD 18

cupr. Numus caput Augustæ cujusdam habens. *Domitianus* med. mod.
 cupr. *Trajanus* med. mod. *Hadrianus* argenteus min. mod. munusculum
 Viri summi Reverendi Io. Georgii Brückneri Bibliothecarii quondam Ca-
 simiriani, jam supremi concionatoris aulici Gothani. *Imp. Gordianus Pius*
 cupr. med. mod. *Imp. M. Iul. Philippus Aug.* Argent. mod. med. *Tetricus*
 min. mod. cupr. *Diocletianus* mod. med. cupr. *Constantinus junior* mod.
 min. cupr. *Dominus Valens Pius Felix Augustus* med. mod. cupr. De
 recentioribus numis collegimus numos finitimarum Germaniæ nationum,
 ut si forte Casimiriani nostri ad externos proficiscerentur, fraudem eorum
 devitare possent. Crebræ enim sunt querelæ peregrinantium de frau-
 dulentia externorum in pecuniis ab advenis vel expendendis vel permu-
 tandis. Primordia nostra sunt duo Bajoci Veneti & duo quadri, quos
 quum b. I. J. B. M. D. A. Anonymo, quem vicinarum gentium numos
 conquirere audierat, dono miserit, memoriæ fautoris conservandæ causâ
 primitiis nostris adjecimus. Habemus etiam grossum argenteum regni
 Poloniæ a Ioan. III. rege Pol. M. D. L. R. P. usum. Cum hoc consoci-
 atus est Friderici S. R. E. C. Land. Haf. Ep. Wrat. numus 1680 sex cruc.
 Regni Suedici duo thaleri cuprei ex eo genere, quod a necessitatibus
 nomen accepit, etiam suppetunt nobis, e dono Illustriss. Dom. Iulianæ
 Eleonoræ Sophiæ de Diemar natæ Einsiedeliæ. Unus in adversâ exhibet
 verba *publica fide*, in averâ *I Daler S. M. 1716*: alter in adversâ:
Wett och Wapen, in averâ *I Daler. S. M.* Monetæ quæ ad numerorum
 similitudinem fuscæ sunt, neque tamen ut civitatum & principum numi
 commercio serviunt, obtigerunt nobis a V. Illustr. Augusto Leopoldo
 Fomanno de Waldsachsen 1) numus Iubilæus argenteus Academiæ Gies-
 sensis, in quo hortus apparet, cui palatium adjacet ab imminente sole
 collustratum, adjectis verbis: *non anno, sed annis*. Postica facies exhibet
 verba: *Academia Giessena a Ludovico V. FD. A. MDCVII. fundata*
Ernesti Ludovici pronepotis litterarum statoris filio Ludovico VIII. Re-
ctore Magnificent. primum celebrat. MDCCVII d. XVIII Octobr.
 2) Numus argenteus Lipsiensis, cujus prior facies ostendit verba: *Iubi-*
læum Lipsiense. Sub his verbis duo mares & una virgo honestissima
 forma conspicui stant. Infra subjectam hinc lineam numerus anni com-
 paret MDCCIX. Posterior numi pars habet verba: *Wenn das Iubi-*
læum uns wolte Kräfte in Beutel bringen, ey wie schöne wolten
wir dreyfach Jubilate singen. Reliqua,
 s. D. v. alias.

AC



h. 113. 113.

Q. B. F. E. F. E. I. D.

Yc
1947

PROGRAMMA

de

Rebus quibusdam ad historiam Coburgensem pertinentibus,

PER OCCASIONEM ORATIONIS GERMANICAE

IMITATIO

IO. GEORGII

Eisf

IVVENE GRATIAE, M
SORVM APPETENTE,
TIONIBVS SACRIS DED
MATORE, ET QVAE
AMPLISSIMA
CA

HABENDAE, ET VLT

CASIMIRIANI ERGO O
DIE HORA II POMER
TES ET EX AM

P. P. e Tabul. Caf. pe
Anne

c O

Typis GEORGII

